

Sanctificari enim cum sanctis speramus et fieri cum innocentibus innocentes. Cum igitur ob eius amorem, quem dicti fratres sermonis officio praedicant et exempli veritate pauperem pauperes imitantur, ipsum ordinem internae caritatis visceribus amplectamur, rogati ab ipsis fratribus, quos apud Misnam dominus adunavit, ecclesiam vel oratorium ipsorum ad honorem dei et sanctae matris eius et gloriosi confessoris Francisci et omnium sanctorum in primo Kalend. Maii dedicavimus, cooperante nobis gratia spiritus septiformis, secundum quod officii nostri debitum exigebat. Et ut huius dedicationis memoria sollempnior habeatur ac cum devotione et reverentia a Christi fidelibus celebrius frequentetur, utque sicut fides in ipsa dedicationis die confluentium devotionem generat, sic et devotio humiliter et devote confluentium meritum sive gratiam afferat et apportet, auctoritate nobis a deo concessa cooperantibus infirmitati nostrae sanctorum meritis, omnibus qui in dictae dedicationis die ad dictorum fratrum ecclesiam convenerint humiliter et devote unam carrinam et XL dies de iniuncta sibi penitentia eorum peccatorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, annis singulis misericorditer indulgemus eo dante et per nostrum ministerium indulgente, qui est vere miserator et misericors in maiestate etc. Datum anno domini etc.

Nach der Sächs. Summa prosarum dictaminis bearb. von L. Rockinger in den Quellen zur bayer. u. deutschen Gesch. Bd. 9. Abth. 1. S. 307 ff.

No. 382^b. 1497. 2. Aug.

Der Generalvicar des Franciscaner-Ordens sächs. Provinz Martin von Prag nimmt eine grössere Anzahl von Rathsherren und Bürgern mit ihren Familien in die allgemeine Brüderschaft des Ordens auf: Pro deo — dominis proconsulibus et consulibus almae civitatis Misnensis videlicet Burkardo Grosze magistro civium necnon Nicolao Swertfeger, item Nicolao Swedeler et Petro Mager atque Nicolao Lehman, Friderico Ottoni, Paulo Herczog, Mathiae Steinhaws, Johanni Beher, Lucae Pinicker, Theodorico Commerstedt, Henrico Fausth, Mathiae Ritzsch, Johanni Spindeler et Valentino Voith, Conrado Rephun Johannique Schawenbalt necnon Henrico Treuthner atque Johanni Seidenheffter uxoribusque eorum ac prole cuncta (sic) — benefactoribus ordinis Seraphici patris nostri sancti Francisci devotissimis frater Martinus de Praga eiusdem ordinis s. theologiae professor, provinciae Bohemiae et Poloniae regnorum, necnon Russiae, Podoliae Lithuaniaeque ac Valachiae ducatum minister et servus ac per aliam provinciam Saxoniae omni cum plenitudine — reverendissimi patris generalis ministri supremus vicarius et commissarius atque visitator, corrector necnon reformator — salutem — cum orationum suffragio etc. Tales assiduos peculiaresque fautores et benefactores fratrum meorum — vos esse experientia certa comperio, maiora de vobis sperans incrementa —. Ne ergo ingrati vestris inveniamur beneficiis, cum ingratitude auctoritate canonum iuris et legum culpatur XII q. II ca^o octava¹), quare — auctoritate apostolica et reverendissimi patris generalis ministri plenarie — in nostram vos confraternitatem ac totius nostri ordinis ad universa et singula orationum suffragia tam praesentes quam futuros in vita pariter et in morte — recipio, faciens vos missarum, orationum — et omnium spiritualium bonorum operum, quae per fratres et sorores minorissas et s. Clarae seu s. Damiani et tercii ordinis de poenitentia s. Francisci nuncupati per totum orbem operari dignabitur clementia — salvatoris, participes — addiciens nihilominus ut cum felix obitus vester — meo generali seu provinciali capitulis fuerit nunciatus, pro vestra salute fieri debent suffra-

1) Decreti P. II. causa 12. quaest. 2. cap. 62. ,octava' etc.